festam; & extra controversiam positam: neque si perperam in ea contentis uteretur Auxentia mater ejus, res a patre relictas in lucrum proprium converteret.

CAP. I.

CUm igitur hæc in se contineret supplicatio: merito ad sacram hanc pragmaticam formam respeximus. Per quam sancimus, ut quoniam [1] sacra nostra sanctio nullam mentionem facit earum mulierum, quæ suscepta filiorum suorum tutela, secundas amplexæ sunt nuptias: non liceat Auxentiæ clarissimæ fœminæ eam sacram nostram sanctionem perperam in usum desumere. Propter causas autem prædictas, & quia monumenta actorum, sub quibus Martha filia suæ tutelam suscepit, ostendunt legibus denuntum ipsam jusjurandum [2] præstitisse, non se ad secundas perventuram nuptias, & quod jusjurandum aipernata, in matrimonium secundo se marito junxit, & susceptis ex eo liberis, effecit, ut clarissima filia ejus Martha pro rerum restitutione acceptilationes in ipsam exponeret: summam utique licentiam habere Martham clarissimam fœminam posse sancimus, ut restitutionis [3] in integrum jure utatur, præsertim cum nondum le vicesimus quintum ætatis suæ annum excessisse pronteatur, sacra sanctione a nobis proposita, quæ sancit, ne [4] filii contra parentes suos, aut liberti contra patronos suos possint restitutionis in integrum jure uti, neutiquam ipsi objicienda, proprerea quod nihil lex de his disputet, quæ filiorum suorum tutelam susceperunt, quin contra, eo quod altera [5] potit hæc sacra nostra processerit sanctio, quæ sancit: *Ne qui tutores constituuntur, aliter filiorum suorum tutelam susciipiant, quam si designationis suæ tempore apud* [6] *acta deposuerint, quod pupillos indefensos non relinquent: & si contingat etiam matrem filiorum suorum tutelam suscipere: ut & ipsa hoc faciat, tutelarisque rationibus* [7] *obnoxia sit: & si alium pro se designere tutorem velit, ut suo* [8] *& subsistentium illi rerum periculo id faciat.* Unde omnibus modis hoc etiam casu convenit, ut si Martha clarissima fœmina comprobaverit, non præteriisse ea [9] tempora in quibus restitutoriæ ipsi actiones competunt: tam restitutione in integrum utatur, quam omnibus aliis, per quæ leges nostræ minoribus ætate opem & auxilium præbent. Sancit etenim nostra potentia, ut omnis reverentia [10], quæ parentibus debetur a liberis, item honor, atque obsequium parentibus conservetur: dum tamen nihil ab ipsis in illorum detrimentum fiat. Ut vero ex prioribus nuptiis filios desperiamus, neque religioni putamus consentaneum: neque alioqui convenire, ut res, quæ ex paterna ad ipsos pervenerunt substantia, hujusmodi matres possint vel sibi, vel his, qui secunda vice ipsas habent in matrimonio, vel ex istiusmodi matrimonio procreatis liberis lucrifacere.

EPILOGUS.

† Quæ igitur nobis placuerunt, & per sacram hanc pragmaticam declarantur formam, ea studeto gloria tua una cum beatissimo archiepiscopo Theopolitanæ [11] ecclesiæ, effectui & fini tradere. Dat. Kal. Febr. *Constantinop.* DN. JUST. PP. Aug. V. C. CONS.

TIT. XXXIX.

DE PROLE [12] PARTIENDA INTER RUSTICOS [13].

NOVELLA CONSTIT. CLVI.

PRÆFATIO.

DOcuerunt nos, qui sacrosanctæ Apamiensis ecclesiæ negotia gerunt, quod ad alios quosdam pertinentes rustici cum rusticanis mulieribus suis se conjunxerint, exindeque procreaverint filios: petieruntque, ut & rusticos ipsis adsignarent, & horum filios maternum [14] sequentes uterum. Sed qui hæc petunt, hi sane constitutionem nostram, quæ nuper prodiit, intelligere non videntur, quid ea sibi velit.

CAP. I.

NAm si liberi aliqui se adscriptitiis [15] conjungant: secundum rationes constitutione comprehensas, infantes matrem sequentur, unde ad libertatem non perveniunt. Si vero rustici sint, non amplius constitutioni illi per omnia locus sit: sed quemadmodum nuper [16] decrevimus, & lege cavimus, proles dividitur [17] in partes. Et si quidem æqualis sit [18] natorum numerus: in duas partes dividitur: si inæqualis, aut etiam unus tantum natus sit: tunc quod reliquatur, venter [19] habet, propterea quod & amplius laboraverit: & unus quidem si sit, matrem sequetur, si vero tres nati fuerint: duo quidem dueve matrem sequentur, unus autem ad proprietatem paterni dominii perventurus est, atque ita semper (ut prædiximus) id quod impar [20] est, habebit venter. Et secundum hæc Apamiensis quoque prolem partiendam esse cognoscunto: ut quod multis retro temporibus in controversia fuit positum, intelligant denuo sub nostram redactum sanctionem.

TIT. XL.

DE RUSTICIS [21] QUI IN ALIENIS PRÆDIIS NUPTIAS CONTRAHUNT. [22]

NOVELLA CONSTIT. CLVII.

1 Dic *ut §. eod.* 2 *leg. 2. Cod. quando mul. Novell.* 118. *cap.* 5. 3 Filia restitui adversus matrem secundo habeatem potest, & acceptilationem seu apocham rerum gestarum ab ea sondicere. 4 *l. 1. l. 2. C. qui & adversf. quos in integr. restit. non poss.* 6 *d.* §. 2. 7 Et residuis solvendis. 8 *d.* §. 2. 9 Vide *ut Cod. de temporibus & patron. præsc.* 10 Tria hic conjungit: τιμὴν, τιμὴν, θεραπείαν. *l. 1. ff. de obseq. parentibus & patron. præst.* 11 Id est, Antiochiæ.

12 De sobole cum colonis partienda. *Index Regina.* hæc constitutio confirmat Novellam 162. quæ hac tempore posterior est. 13 Adscriptitia ex mea & tuo adscriptitio mei & sic deinceps, ut quoties impar fuerit numerus, impar matrem sequatur, *Nov.* 162.

14 Partus ventrem sequitur, vid. *l.* 19. *ff. de statu hominum.* 15 Mulieribus.

16 *Novell* 164. quæ hac est posterior. 17 Dandum est enim aliquid matri propter puerperii difficultatem, vid. *l.* 12. §. 1. *Cod. qui potior.* 18 Quid si duo simul nascuntur, quis eliget? forte res dirimetur, ut & quibusdam in aliis causis fit. *reg. ult. in pr. Cod. commun. de legat.* 19 In pari jure, partus ventrem sequitur. 20 Inter conjuges adscriptitios, filii impares ventri cedunt, id est, conditionem, & dominium matris sequuntur.

21 De colonis, &c. *Index Regina.* 22 In Mesopotamia fit. & Osdroena *Index Regium* inter se possunt nuptias contrahere. 23 Conjuctudo in nuptiis attenditur. 24 Personæ adscriptitiæ diversorum dominorum inter se possunt nuptias contrahere. 25 Domini non possunt adscriptitiorum matrimonia dissolvere. 26 Est enim dura separatio parentum a liberis, vid. *l.* 8. *ff. de pign. l.* 71. §. 3. *in fin. ff. de leg.* 1. *l.* 41. §. 2. *in fin. ff. de leg.* 3. *l.* 3. *ff. de liberali.* Paul. 5. *sentent.* 6. §. *uit.* 27 Id est, anno 541.

28 Ut jus deliberandi etiam impuberes transmittant *Index Regina.* Goth. Vid in hanc Novell. Rittershus. *pars.* 7. *cap* 21 Ans. 29 Mortur aliquis impubes non adita hereditate, quis illi succedet? num avunculus, num amita num uterque? 30 Advocati fine consilio rei conventi, non temere actiones ullas exsquiebant. & breviter, litem nunquam suscipiebant patrono, id est, advocato inconsulto. *l.* 17. §. 1. *ff. si servit. vindic.* ibi, *omnes consiliis jurisperiti dederunt.* Testamenta etiam vix sine jurisperito faciebant, *l.* 88. *in fin. ff. de leg.* 2. Inde est, quod non toleretur ignorantia in eo, qui juris consulti copiam habere potuit. *l.* 9. §. 3. *ff. de jur. & facti. ign.* 31 Advocati responsa sua in scriptis reddebant.

32 Compromissum in advocatum & scriniarium factum observa. 33 *l.* 19. *C. de jure delib.*

34 Id est, infantem. 35 Id est, effecisse, ut sententiæ arbitrium confirmarent.

36 *l.* 12. *C. d. ius.* 37 *l.* 18. *Cod. de jure deliberandi.* 38 *Novell* 118. *c.* 3.

39 Adgnatici juris & cognatic nulla hodie differentia est in succendo. 40 Id est, cum hic catus, qui nunc propon tur. sit antiquor *Nov.* 118. per quam sublata est differentia juris agnatici & cognatici, & ita leges non trahuntur ad præteritos casus. *l.* 7. *C. de legib.*

41 Id est, si preces veritate nituntur, hæc enim conditio tacite rescriptis inest, vide *l.* 7. *C. de diversis rescript.* 42 *d. l.* 18. *C. de jure delib.*

43 *d. l.* 19. *C. de jure delib.*

Imp. Just. Aug. Lazaro Comiti Orientis.

PRÆFATIO.

EX his quæ diverso modo ad nos relata sunt, didicimus in Mesopotamia & Osdroena provinciis quidpiam delinqui, nostris plane temporibus indignum. Consuetudinem [23] etenim apud ipsos esse, ut qui ex diversis [24] originem trahant prædiis, nuptias inter se contrahant. Inde sane conari [25] dominos, de facto jam contractas nuptias dissolvere, aut procreatos filios a parentibus abstrahere, exindeque totum illum locum misere affligi, dum & rusticani viri & mulieres ex una parte distrahuntur, & proles his adimitur, qui in lucem produxerunt, & sola nostra opus esse providentia.

CAP. I.

SAncimus igitur, ut prædiorum domini de cætero rusticos suos, prout voluerint, conservent: neque quisquam eos qui jam conjuncti sunt, possit secundum consuetudinem prius obtinentem divellere, aut compellere ut terram ad ipsos pertinentem colant, abstrahereve a [26] parentibus filios prætextu conditionis colonariæ. Sed & si quid hujusmodi forte jam factum est: corrigi hoc simul, & restitui efficies. sive filios abstrahi contigerit, sive etiam mulieres, nempe vel a parentibus, vel contubernii consortibus: eo, qui reliquo deinceps tempore hujusmodi aliquid facere præsumpserit, etiam de ipso prædio in periculum vocando. Quare libera sunto contubernia metu, qui dudum ipsis immittitur. & parentes habento ex hac jussione filios suos: nequeuntibus prædiorum dominis subtilibus contendere rationibus, & vel nuptias contrahentes, vel filios abstrahere. Qui enim tale quid facere præsumpserit: etiam de ipso prædio in periculum veniet, cui eos vindicare rusticos attentat.

EPILOGUS.

† Quæ igitur nobis placuerunt, & persacram hanc pragmaticam declarantur formam, ea providentiam habeto magnificentia tua, tibique obtemperans cohors, & qui pro tempore eundem magistratum geret, ut ad effectum deducantur conserventurque, trium librarum auri pœna imminente ei, qui ullo unquam tempore hæc transgredi attentaverit. Dat. Kal. Maji, *Constantinop.* DN. JUSTIN. PP. Aug. BELIS. [27] V. C. CONS.

TIT. XLI.

UT [28] DELIBERANDI JUS ETIAM AD IMPUBERES TRANSMITTATUR.

NOVELLA CONSTIT. CLVIII.

PRÆFATIO.

OBlatæ nobis a Thecla, quæ & Manno appellatur, preces sunt, quæ declarant, Theclam quandam e vita decessisse, relicta Sergia filia impuberem ætatem agente: cumque vix sedecim dies matri supervixisset filia, obiisse & ipsam mortem in contagione illa, quæ nuperrime homines invaserat. Eam vero quæ nobis preces porrexerit, inquit Sergiæ patri [29] sororem extitisse. Cosmam autem Theclæ fratrem Sergiæ hereditatem vindicasse, dictasseque eo nomine judicium. Rursum hanc, ne non recte contentiones sereret, abiisse ad Joannem provincialis fori advocatum, percontatum [30] de legibus, quæ hanc causam concernerent. Illumque responsum in scriptis [31] edidisse eo ipso significantem, quod Sergiæ ad ipsam delata esset hereditas. Atque ea sane de causa controversiæ judicem delegisse [32] ipsum Joannem, Cosmæ partes agente Æsculapio quodam scriniario per Orientem magisterii militum. Sed Joannem contrariam edidisse sententiam his quæ in scriptis responderat, usurpata ad hoc in sententia lege [33] justissimi Principis Theodosii, quæ dicit non posse eum. qui nondum septem [34] annorum natus sit, maternam vindicare hereditatem, nisi tutorem habeat: sed ut ad illos ea deferatur, quibus competitura esset, & si defunctus impubes ad hereditatem legibus vocatus non esset. Neque hæc tantum protulisse in sententia, sed & effecisse [35], ut quæ nobis supplicaret, consequenter secundum sententiam pacta iniret, & eadem denuo dictaret Æsculapio, qui pro Cosma causam egerat. Petiitque nos ut ipsam tam misere affectam injuria respiceremus: & maxime cum lex [36] in Codice, qui de nostro nomine cognomen accepit, posita sit, quæ innuat recte maternam hereditatem vindicare eum, qui fari posit: & rursus alia [37] a nobis lege proposita, quæ vult, ut si quis hereditate ad ipsum delata antequam eam vindicet, aut contrariam ea in re sententiam suam ostendat, ex hac vita emigret: super ea hereditate deliberandi jus ad heredes suos transmittat. Porro eam legem, quæ nuper [38] a nobis proposita sit, qua idem in hereditatibus ordo adgnatis [39] pariter & cognatis tribuitur, locum in hac controversia non habere, cum antiquior sit nostra [40], cujus occasione lex illa valere jussa est.

CAP. I.

SAncimus igitur, ut gloria tua, si [41] hæc ita se habere compererit: opem ferat supplicanti, & legem nostram illi conservet, quæ deliberandi jus ei tribuit, nimirum Sergia ante excessum anni post matrem suam demortua, volentique maternam Sergiæ hereditatem vindicare, ejus agendi copiam præbeat. Neque enim pugnare inter se aliquis Theodosii pientissimi Principis [42] & nostram [43] legem dixerit: cum in eodem utraque volumine sit posita, &

nos per constitutionem, quam pro eo posuimus, obsirmaverimus, nihil in eo residere contrarii. Sed obtinere quidem lex nostra in præsenti controversia, & omnibus casibus in quæstionem deducto a similibus: obtinere autem Theodosii sacratissimi Principis lex, in quibus [1] annum præterire contigit, & deliberandi tempus elapsum est. Facta enim post sententiam conscripta cum altero inita, qui obligationem adquirere non potuit: manifestum est, quod nullam actionem Cosmæ de his, quæ inibi confecta fuerunt, dederint. Datum pridie Idus Julii, *Constantinop.* DN. JUST. PP. Aug.

TIT. XLII.

UT [2] RESTITUTIONES FIDEICOMMISSI USQUE AD UNUM [3] GRADUM CONSISTANT.

NOVELLA CONSTIT. CLIX.

Imperator Justinianus Augustus Petro gloriosissimo sacrorum prætoriorum præfecto, iterum consulis & patricio.

PRÆFATIO.

TAntum nobis benignitatis adest, ut ne privatas quidem causas, quæ judicum nobis inquisitionem superare videntur, legibus nostris definire indignum putemus, ne si quando privata causa audientiam in judicium deferri solitam excedat, longa mora eos, qui in jure controverso hærent, atterat. Aliquoties igitur gloriosissimus vir Alexander ad nos retulit, gloriosæ memoriæ patrem suum Hierium, cum testamenti tabulas conscriberet, hisce verbis usum esse: *Volo* [4] *ac jubeo, ut heredes mei, Constantinus quidem clarissimus vir deputatam sibi domum cum omnibus (ut præscriptum est) cohærentibus illis juribus, & suburbium in Coparii appellatum, item cum omnibus (ut præscriptum est) juribus ad ipsum pertinentibus, & domum Antiochiæ sitam, emptam ab Ammiano: Anthemius vero dulcissimus suburbium in Blachernis [5] dictum, redemptum a gloriosæ memoriæ viris Eugenio & Juliano, & suburbium in promontorio sinus* [6] *Sosthenii, quod olim in dominio Ardaburii gloriosæ memoriæ fuit: Callipius autem clarissimus vir suburbium Bytharium sive Philothei nuncupatum: & Alexander clarissimus vir suburbium in Venetis, neque* [7] *per venditionem neque donationem, neque permutationem, neque quocunque tendem titulo in alium transferant, rejicianiave, aut eam domum seu præscripta quinque suburbia e meo nomine & mea familia alienent: sed si quidem (quod Deus faxit) nascantur filii, & relicti post se filius aut nepotibus, sive legitimis, sive etiam naturalibus moriantur: ut pro se quisque deputatum sibi suburbium aut domos tam in hac regia urbe quam Antiochiæ positas filiis ac nepotibus legitimis aut etiam naturalibus suis relinquant. Persuasum etenim habeto, quod neque in naturalibus liberis ac nepotibus dispositionem voluntatemque hanc meam negligent. Si vero in universum omnes aut aliqui, aut unus ex iis* (quod abominor) *sine liberis decedat: volo & jubeo, ut qui liberis orbi, aut orbus mortem obierit, superstitibus aut superstiti ex ipsis fratri præscriptas domos, tam quæ in hac urbe, quam quæ Antiochiæ est, ut item prius declarata quinque suburbia cum omnibus eorum juribus, & omnibus denique rebus ac personis quæ iis continentur, citra ullam exceptionem restituat: cessante* [8] *videlicet inter eos fideicommissorum seu legatorum servandorum causa satisdatione. Volo etenim ac jubeo, ne quisquam ab alio hujus generis satisdationem expetat: iis vel eo, qui præter paternam & pietatis erga ipsos plenissimam intentionem meam a fratribus suis satisdationem in rebus abalienaris prohibitis expetere pertentaverint, vel pertentaverit: omni modo ejus fideicommissi amissionem sustinentibus, vel sustinente.* Atque hæc quidem ipsum protulisse in testamento: conscripsisse autem & codicillum, in quo talibus propemodum verbis usus sit: *Manifestum* [9] *plane facio, quod pridem testamentum per scripturam fecerim, & quæ in eo conscripta sunt, ex animi mei sententia compositerim: voloque ac jubeo, ut omnia quæ in eo testamento continentur, omnimodo firmitatem obtinant: his solis exceptis, per quæ forte in hoc meo codicillo vel aliquid mutavero, vel relicta alicui legata ademero* [10]. *Volo igitur ac jubeo, ut suburbium illud meum, quod Coparia appellitant, quod in proposito testamento magnificentissimo filio meo Constantino reliqui, detur & pleno proprietatis atque possessionis jure ad clarissimum pariter & generosissimum nepotem meum, Constantini magnificentissimi filii mei filium Hierium simul universum pertinet, cum omnibus prætoriis quæ in eo sunt, & omnibus scalis* [11], *& quæ vel intra urbem, vel extra urbem propensione elocantur, adibus atque officinis, & balneo, & hortis tam intra quam extra muros existentibus, & hippodromo, neque non horto qui in ipso est, & cisterna, atque omni denique jure, quod ullo modo in eo mihi suburbio competit. Idipsum vero suburbium tunc demum prædicto clarissimo nepoti meo Hierio dari volo, cum* [12] *primum post meam mortem patris sui potestate solutus, per emancipationem sui juris rei terminum excedat: aut iii, qui vel ex hoc meo, vel ejusdem clarissimi nepotis testamento in eadem jura successerint, ut idem suburbium, vel partem ejus aliquam, abalienent: propterea quod hoc ipsum suburbium, & ædes situm sitatve intra porrom omnia & perpetuo velim permanere in familia mea, neque unquam de meo nomine vivus vel intra pubertatem, vel etiam post pubertatem sine liberis tamen legitimo matrimonio procreatis moriatur: ut ejus suburbii sive adium possessio simul & proprietas perveniat, & deferatur, aub restituatur magnificentissimo patri ejus Constantino sub eadem conditione, ne* [14] *unquam de familia meoque nomine abalienentur.* His ita confectis ipsum quidem e rebus humanis abiisse, Hierium vero gloriosæ memoriæ domum quidem Theopoli sitam, quæ successione paterna ad ipsum pervenerat, aliis personis vendidisse: ipsam autem domum, quæ in hac alma urbe est, & insuper suburbium, quod illi codicillo datum erat, in quibus omnibus interdicta fuerat alienatio, ad Constantem gloriosæ memoriæ filium suum transmisisse. Illumque rursus prægnante uxore relicta vitam finisse: scripto prius testamento, in quo disposuerit, *ut si puer vel natus non esset, vel natus ante pubertatem mortuus esset: tam gloriosissima ejus mater Maria, quam inclyta etiam uxor ejus altera Maria ad successionem ejus vocarentur.* Postea vero quam nata filia in ipsa infantia & teneram adhuc ætatem agens, humanis rebus excessit: cum reliquam subitantiæ partem, tum etiam domum in ampla hac urbe, & insuper suburbium, quod expressis verbis Hierio gloriosæ memoriæ in codicillo relictum fuit, ad inclytas mulieres devoluta esset: meritoque tam ex testamento, quam ex verbis codicilli, domum juxta & suburbium vindicandi sibi locum datum, utpote qui solus hoc tempore ex Hierii gloriosæ memoriæ liberis superstes permanserit, & primum gradum in nomine familiæ obtineat. Verum qui pro Maria & Maria gloriosissimis fœminis faciebant verba, hi ajebant, neque testamenti verbis ullum locum factum esse. Neque enim Constantem gloriosæ memoriæ absque liberis ex rebus humanis abiisse, ut utrarumque ædium restitutioni locus sit. Sed neque suburbii nomine rite secundumque leges Alexandrum gloriosissimum virum hasce adoriri: cum & ipse suburbium, quod ipsi relictum fuerat, in quo communis pater æque, ut in cæteris, alienationem illi prohibuit, ante id tempus alienaverit: sed & alios fratres idem hoc fecisse. Et leges nostras, siquidem omnes ordine, in quibus hujusmodi aliquid definitum sit, defuncti voluntatem transgrediantur: ex æquo omnibus restitutionem adimere: ne si vicissim alter alterum mutua petitione in jus vocent, multis in una causa subdantur judiciis, legesque de hoc propositas nobis revocarunt in memoriam. Alexander autem gloriosissimus vir recte se actionem intentare ajebat, & maxime de utrisque ædibus: defunctum enim satis manifeste suam in codicillo sententiam de iis rebus declarasse, cum res familiæ conservari voluerit: sed multo justioribus se rationibus inniti in suburbio. Neque enim recte illas sibi alienationem exprobrare, cui ex imperiali jussione hoc facere indultum fuerit. Ac proleixis in ea causa disputationibus utraque pars usa est, nunc testatoris interpretando voluntatem, nunc nostras usurpando leges, quas in rem quæque suam facere arbitrabatur.

CAP. I.

NOs igitur cum & legum, & testamenti interpretationem perspectam haberemus: non [15] nuda sententia, sed lege [16] ejus causæ decisionem complectendam duximus, simul ut præsentem dirimeremus controversiam, simul ut cæteris movendæ de his contentionis ansam præriperemus. Unde subtilius pariter & exactius testamenti verbis innixi, deprehendimus ipsis quidem filiis hereditatem capessentibus *alienationem interdictam, si sine liberis vita functuri essent, non ulterius vero his etiam qui eis filiis succederent:* sed contentum fuisse defunctum, *si inter filios duntaxat alienationis interdictum constitueret:* neque enim si & ipsi relictis filiis decederent, majore ipsum cura perquisisse, cui aut quomodo res relinqueretur: nec voluisse alienationis interdictum ultra [17] filiorum vitam extendere. Enimvero codicillum, qui de suburbio duntaxat factus fuit, interdixisse his etiam, qui ex testamento gloriosæ memoriæ Hierii (de juniore loquimur) res per successionem cepissent, ne suburbium alienarent, & quod consequenter inducitur, in his quoque defunctum voluisse, ut id perpetuo in familia permaneret. Et quidem quæ in controversiam deducta sunt, ejusmodi fuerunt.

CAP. II.

NOs [18] vero cum totam causam cum diligentia qua decet penitius intueremur: in aliis quidem rebus, quarum sane Constantinus gloriosæ memoriæ, Hierii senioris filius, ex paterni testamenti tabulis dominus factus fuit, præclare nullam quæstionem excitandam rati sumus, arcendumque in his aliquam familiam: cum & testamenti verba prohibitionem inter solos constituant filios: & ipsi gloriosæ memoriæ Hierii filii, per quos qui post eos illius familiæ portio extiterunt, Hierii ipsi jura vindicant, nonnullas apud se constitutas res alienaverint, perinde quasi ex una voluntate substitutionem interdixerit: quod autem ad suburbium attinet, cujus dominum codicillus ostendit esse gloriosæ memoriæ Hierium, præter modum scrupulosa nobis diligentia plenum visum est, si post quatuor demum generationes hujusmodi quæstionem produceremus in medium. Nunc certe cum Maria & Maria gloriosissimæ fœminæ etiamnum superfint, quas alicubi & ipsas nostræ leges in familiam reponunt, ut quæ sponsas [19] quoque hac appellatione dignentur: neque recte, neque ordine Alexander gloriosissimus vir litem a se prætentam instituit. Quin ut maxime hæ decessissent: tamen quod quatuor [20] jam generationes præteriisse viderentur, haud sustineremus tam obsoletam causam denuo tradi judiciis, & maxime cum Constantis filia in pupillari adhuc ætate vitam finierit. Unde tametsi testamentum ille non confecisset, suburbium tamen ad matrem ejus pervenisset: non ipsa pupilla, sed ipsa quodammodo lege horum causa exi-

1 Infans per se adire hereditatem matris non potest, sed per tutorem: si per eum non iniera annum adierit, ad suos eam non transmittit. *l.* 18. *C. de jure delib.* sin vero intra annum adierit, transmittit. *l.* 19. *Cod. de jure delib.*

2 De substitutione facta in familia morientium, ut usque ad quartum gradum valeat, *Index Regina.* 3 Μέχρις ἑνὸς βαθμοῦ, ita legitur in editione Scrungeri & Haloandri Græca. Alciatus legit, μέχρις ἑνὸς, & male. Græci enim ita non loquuntur μέχρις ἑνὸς, sed μέχρις ἑνὸς τοῦ τρίτου gradum: licet autem postea adjiciat Justinianus, prohibitionem alienationis extra familiam non valere ultra quartum gradum, debet tamen hic titulus a priore ejus parte concipi, & a quibusdam quoque legitur in vulgata, non *quartum*, sed *quintum*. vid. Cuj. 4. *obs.* 38. Goth. Adde censur. forens nostram *lib* 3. *c.* 7. *n.* 14. S. L. 4 Formulam testamenti observa.

5 Blachernense suburbium Constantinopolitanum, de quo alias dixi. 6 Hodie Stenem prohibere, & heredes damnare, ne vendant. 8 Testator remittere potest heredibus confirmari solitum fuerit, observa. 10 Testamento relicta codicillis possunt admi. vid. *Instit. de ademptione legatorum.* 11 Scalæ, trajectus mantimi *l.* 7. *C. de aquaduct.* vel portus aut stationes navium, autore Moschopulo περὶ σχημάτων. Alciatus perperam, cenaculis.

12 Facti species hæc est, Parens Constantino filio testamento adscribit fundum, postea, codicillis eundem fundum Hierio nepoti suo (id est, filio Constantini) legat, *cum emancipatus esset*, interdicta ei omni alienatione extra familiam, tam ei, quam ejus successoribus: eique, quo casu sine liberis moreretur, Constantinum patrem substituit. His ita confectis, moritur testator, moritur Constantinus. Moriens Hierius fundum ad filium transmittit, proneporem suum, & uxorem. Quæritur, an fundus debeatur, Conditio legati ita concepti, *Ne fundus de familia defuncti ejusque nomine exiret*, videtur prima facie obstare, sed tamen, quia fundus non transiret per quatuor gradus heredum, lex vetat testatoris prohibitionem uterius extendi, & ita vult debeat fundum uxori. 13 Legati potest filio etiam in tempus emancipationis, vid. *l.* 46. *ff. de hered. instit.* 14 Conditionem, ne legatum de familia unquam exeat, legato adjectam observa. *l.* 77. §. 27. *l.* 88. §. 1. 15. *ff. de leg.* 2. *Nov.* 119. *c.* 11. *Nov.* 120. *c.* 9.

15 Lex enim ab Imperatore lata evidentius decidit, quam sententia. 16 Id est, eo animo, ut quæ hic dicuntur, pertineant ad omnes casus similes. 17 Interdicta filiis alienepotes possint bona extra familiam alienare. Quid si prohibito facta sit in infinitum, & substitutio precaria adjuncta? ultra quartum gradum extendi non debet. 18 Cujacius putat, hanc Novellam ex earum esse numero, quas Harmenopulus, Tribenianum composuisse, narrat obscure, & ambigue, pecuniaque corruptum, ut & *Nov.* 2. *Nov.* 166. ut & aliasque plerasque, quo casu sine liberis moreretur, Constantinum patrem substituit. His ita confectis, moritur testator, moritur Constantinus. Moriens Hierius fundum ad filium transmittit, proneporem suum, & uxorem. Quæritur, an fundus debeatur, Conditio legati ita concepti, *Ne fundus de familia defuncti ejusque nomine exiret*, videtur prima facie obstare, sed tamen, quia fundus non transiret per quatuor gradus heredum, lex vetat testatoris prohibitionem uterius extendi, & ita vult debeat fundum uxori. 13 Legati potest filio etiam in tempus emancipationis, vid. *l.* 46. *ff. de hered. instit.* 14 Conditionem, ne legatum de familia unquam exeat, legato adjectam observa. *l.* 77. §. 27. *l.* 88. §. 1. 15. *ff. de leg.* 2. *Nov.* 119. *c.* 11. *Nov.* 120. *c.* 9.

15 Lex enim ab Imperatore lata evidentius decidit, quam sententia. 16 Id est, eo animo, ut quæ hic dicuntur, pertineant ad omnes casus similes. 17 Interdicta filiis alienepotes possint bona extra familiam alienare. Quid si prohibito facta sit in infinitum, & substitutio precaria adjuncta? ultra quartum gradum extendi non debet. 18 Cujacius putat, hanc Novellam ex earum esse numero, quas Harmenopulus, Tribenianum composuisse, narrat obscure, & ambigue, pecuniaque corruptum, ut & *Nov.* 2. *Nov.* 166. ut & aliasque plerasque, 19 Νύμφας id est, nurus, *Novell.* 145. *cap.* 4. §. 3. & 117. *cap.* 15. & ita est. Nurus filii loco est. Theophilus §. *adfinitatis Inst. de Nuptiis.* vide Cujacium 28. *obs.* 2. 20 Causa de-

ſtente: quamvis nemo ſucceſſorum glorioſæ memoriæ Hierii circa voluntatem ejus deliquiſſet. Licet enim Conſtans, cum teſtamenti tabulas conſcriberet, ſubſtitutiones quasdam fecerit, filia intra pubertatem mortua: nihil tamen inde excellens introducitur: cum & ipſa lex pupillæ ſubſtantiam matri, quaſi ea ſine teſtamenti tabulis deceſſiſſet, per ſe præbitura eſſet.

CAP. III.

SAncimus igitur, ut neque glorioſiſſimus vir Alexander, aut ejus filii, neque reliqui ſenioris Hierii glorioſæ memoriæ liberi, neque [1] alius quisquam omnium qui genus ſuum in eorum familiam referunt, vel Mariam & Mariam glorioſiſſimas fœminas occaſione rerum apud ipſas conſiſtentium, vel alios apud quos aut hoc tempore res exiſtant, aut ad quos ſequente tempore perventuræ ſint, in [2] quibus alienationem forte Hierius glorioſæ memoriæ prohibuit, adoriantur judicio, aut omnino mentionem de cætero prohibitionis & familiæ nominis faciant, & aliquod ſibi exinde jus adquirant: utpote cum & alii Hierii glorioſæ memoriæ filii res ſuas abalienaverint, & reliquorum quodammodo alienationibus conſenſerint [3], ac per has, neque non alias, quas prædiximus rationes, quæ ad hujusmodi judicationem & legislationem abunde nobis ſufficiunt, ſibi pariter, & ſucceſſoribus ſuis actiones, quæ ipſis potuiſſent competere, ſuſtulerint. Atque hæc non tantum præſentis cauſæ deciſio eſto, ſed & reliquarum in quibus hujusmodi prohibitione facta, tot ſucceſſiones præterierint, & ultimus heredum per [4] intervenientem aliquem in medio impuberem hereditatem capeſſat. Tunc enim his etiam, qui ſunt extra familiam ejus, qui primus prohibuit, per præſentem noſtram legem transmittendarum rerum licentiam habebit. Si quidem in commune hanc legem, tam de præſenti caſu, quam de omnibus poſt hac futuris, ad eum modum prohibitionibus protulimus, ſimul contentionem componentes, quæ hoc tempore evenerat, ſimul (ut probabile eſt) futuras præcidentes.

EPILOGUS.

† Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc ſacram declarantur legem, ea proponere gloria tua in alma hac urbe, & effectui ac fini tradere ſtudeto, atque obſervari præcipito.

TIT. XLIII.

EXEMPLUM [5] SACRÆ PRAGMATICÆ FORMÆ DE USURIS.

NOVELLA CONSTIT. CLX.

Imperator Juſtin. Auguſt. Papio.

PRÆFATIO.

ARiſtocrates prudentiſsimus Aphrodiſienſis reipublicæ pater, quique immobilia in ea poſſident, ſupplices nobis facti ſunt, ajentes prædictam civitatem, &c. Ac principio quidem illud cognoſcimus, quod plerique leges noſtras ita accipiant atque intelligant, ut unde minime conveniat, inde [6] injuſtarum ipſis actionum anſas præbeant. Si quidem a patre reipublicæ edocti fuimus, quod cum bene magna auri ſumma Aphrodiſienſium reipublicæ ex legatis a nonnullis civitati relictis collecta eſſet, ne quando ea deperiret: quidam eorum qui in republica cum poteſtate erant, eam auri ſummam collocaverint, ut quamdiu id auri apud ipſum reſideret, tamdiu qui ſuſcepiſſet, quoquo anno pro eo civitati dependeret (ſive [7] quis id pactum, ſive reditum, ſive etiam uſuram [8] appellare velit) quantum ferre civitatem æquum eſſet. Eos vero, qui aurum ſuſceperunt, poſtquam conſtitutionem protulimus, ne creditoribus permittatur, ut debitum ultra [9] duplum exigere, ſed hoc ipſo duplo contenti ſint, ſane legatum civitati deperire, & tam calefactiones balnearum publicarum, quæ exinde fieri ſoleant, injuria affici, quam opera publica per legem noſtram labefactari, & illorum interpretationem vitium adferre reipublicæ.

CAP. I.

UT igitur omnia hæc e noſtra expellamus reipublica, ſancimus, ut qui id auri perceperunt in hoc, ut penſionem [10] aliquam pro eo perſolvant reipublicæ ſingulis annis, quo ad illud penes ſe aurum habuerint, inferre compellantur id quod pro eo ſe illaturos conſtituerint, haudquaquam ſacra noſtra ad hoc conſtitutione uſurpata. Illam enim de creditoribus conſcripſimus, & qui in ea comprehenduntur, caſibus. Præſens vero ſpecies illam non attingit: ſiquidem hoc magis annuo [11] reditui, quam uſurarum præſtationi ſimile videtur, nos autem ex æquo [12] vitatum curam gerere oportet, ut rerum fiſcalium. Quod ſi quis poſt hanc præſentem noſtram formam aliter ea quæ a nobis lege promulgata ſunt acceperit, & defraudare civitatem dato auro voluerit: & pro univerſo tempore, quantum debet, civitati perſolvet, & præterea reddet duplum: ut malitioſæ interpretationis juſtam retributionem percipiat: propterea quod cum in manu illi eſſet, ut bonum ſe perhiberet civem, ita improbus eſt, ut quæ illum in lucem protulerit, eam non dubitet afficere injuria.

TIT. XLIV.

DE [13] PROVINCIARUM PRÆSIDIBUS.

NOVELLA [14] CONSTIT. CLXI.

PRÆFATIO.

NOn tantum decenter leges ferre ſummo bono eſt, ſed etiam ſancita accurate cuſtodire [15], & ad exeſludunt gentiles in hac hypotheſi.

2 Adde *l.* 62. *ff. de adquir. rer.* 3 Alienatione prohibita extra familiam, omnibus vendentibus, vel pacto conſentientibus, fideicommiſſum remittitur, *l.* 77. §. 27. *ff. de leg.* 2. vid. *l.* 11. *Cod. de fideicommiſſ.* 4 Ut mater per abnepotem in pupillari ætate decedentem. An ad alios caſus id extendi poteſt? non temere. vid. Cujac. *hic in fin.*

5 De pecuniis & uſuris civitatum. *Index Regina*, adde *l.* 5 *bene collocata* 33. *ff. de uſuris.* Goth. Vide *Novell.* 138. & *Novell.* 121. Anſ. 6 Calumnia non inde ſumenda, ſinceritas unde manat. 7 Dubitatum itaque fuit de contractus ſive actus nomine.

8 Idque rectius; nihil eſt enim aliud reditus pecuniæ, quam uſura, *l.* 24. *ff. de præſcript. l.* 30. *ff. de aimend.* 9 Uſuræ ſupra duplum non debentur, *Nov.* 121. *Nov.* 138.

10 De reditu in pecunia conſtituto vid. Molinæum *de uſur. n.* 69. 11 Annui reditus & uſurarum ſubtilem differentiam obſerva.

12 De præſidibus, *Index Regina:* adde *Novell.* 95. *Novell.* 128. 13 Hæc Novella eſt Tiberii. 14 Parum eſt, leges ſanciri, niſi cuſtodiantur. *Novell.* 26. *cap.* 1. *Novell.* 133. *cap.* 4. *l.* 2. §. 13. *ff. de orig. jur.* 15 Legum utilitas non in earum ſcriptura conſiſtit, ſed obſervatione. 16 *Novell.* 8.

petentibus pœnis ſubjicere. Quæ enim legum erit utilitas, ſi in literis [16] duntaxat conſiſtant, non etiam per ipſa facta atque opera ſubditis utilitatem de ſe præbeant? Ac ſcimus quidem, quam vehementer majeſtas Imperatoria collatorum curam geſſerit, cum aliquoties definierit, ut provinciarum præſides officia gratis [16] ſuſcipiant: quo magis & ipſi, cum pure his utuntur, æquum & bonum ſubditis impertiantur, & ex collatorum incolumitate omnium rerum copia abundet reſpublica. Sed hæc quidem per immodicam avaritiam eorum, qui officia redimunt [17] potius, quam ſuſcipiunt, devicta paulatim in oblivionem devenerunt.

CAP. I.

NOs autem de his propoſitas leges renovantes, ſancimus, ut illi magiſtratum gerant, qui & bona exiſtimatione noti ſint [18], & in exercenda juſtitia plurimum repoſuerunt ſolicitudinis. Sed & ut citra ullum munus & largitionem magiſtratus ſuſcipiant. Item ut tam collatores incolumes indemnesque conſervent, quam publica [19] tributa diligenter expediant. Præterea ut neque per ſe, neque per adſeſſores ſuos, aut cancellarios [20], domeſticoſve aut quempiam eorum, qui [21] ad ipſos pertineant, quidquam a ſubditis accipiant, niſi in quadruplum velint, (ut leges loquuntur) quod ab ipſis acceptum eſt, dependere: ſed contenti his ſint, quæ lege ipſis deputata ſunt e publico. Simulatque magiſtratu abierint, ut per ſolennes quinquaginta [22] dies in provincia aſſideant, ſub publico verſantes conſpectu, & omnibus actionem intentare volentibus reſpondeant. Lite vero intra quinquaginta dies non finita, ſi quidem pecuniaria ſit, procuratorem dato: ſin vero criminalis, ad terminum usque cauſæ permaneto, his, qui in cauſa dijudicant (ſive magiſtratus ſint, ſive a præfectis dati) niſi intra viginti dies, quam initium cœperit, eam litem finierint, decem libras auri mulctandis: lite nihilominus ſecundum prædicta procedente. Si qui enim mala conſcientia ſtimulati, vel clam aufugerint [23], vel ad ſacras [24] ædes decurrerint: ſubſtantia excident, ſecundum legem pro modo admiſſorum inter injuria affectos dividenda. Et quemadmodum procedens de hoc conſtitutio & ex una parte, prout antea lege [25] comprehenſum eſt, ſtiterit: quæ pro collatoribus [26] introducta ſunt, ea firma permanento. permanentibus videlicet & aliis firmis, quæ ad collatorum utilitatem de præſidibus pulchre a majeſtate ſancita ſunt Imperatoria. Quemadmodum autem eos, qui hæc perperam in ſe admittunt, punimus: ita & eos, qui per hanc cauſam contra interdictum aliquid ab ipſis accipiunt [27], reſtitutioni quadrupli ſubjicimus.

CAP. II.

ATque ut hæc ita caveremus lege, ex eo nobis in mentem venit, quod pluris [28] a nobis ſit ſubditorum opulentia & medela, quam reditus qui exinde inferuntur Imperio. Contrahimus enim una cum largitionibus præſidum in arctum ipſa etiam ſuffragia [29], quæ Imperialibus inferebantur rationibus, & magnum reddebant pecuniarum cumulum: quo magis hac cauſa & reſpublica meliore ſucceſſu potiatur, & locuplerior redeat, aliquot retro temporibus a nonnullis excogitatis præſtationibus liberata. Una enim hæc res potentiæ noſtræ ſtudio [30] eſt, *ut provinciæ & bonis gubernentur legibus, & tuta inhabitentur, neque non ex præſidum juſtitia fructum capiant, & tributa publica ſine querela inferantur:* neque enim aliter conſervare licet rempublicam niſi [31] pientiſſimæ præſtationes importentur in publicum, ex quibus & militares nutriuntur copiæ, ut reſiſtatur hoſtibus, & per agros ac urbes agantur excubiæ: perfruuntur item reliqui ordines adtributis ſibi ſalariis, reparantur quoque muri & urbes, denique omnia alia proveniunt, quæ communem ſubditorum utilitatem concernunt.

EPILOGUS.

† Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc ſacram declarantur legem: ea gloria tua in alma hac urbe conſuetis locis proponet, ſed & ſolitis uſa juſſionibus mittet per provincias: ut omnes intelligant, quantum nobis reſpublica ſimul & ſubditorum noſtrorum incolumitas curæ ſit.

TIT. XLV.

SACRA [32] FORMA TRANSMISSA DOMINICO GLORIOSISSIMO PRÆFECTO, DE DIVERSIS CAPITULIS.

NOVELLA CONSTIT. CLXII.

Antonio Contio Interprete.

PErcontata nos eſt tua gloria de quibusdam controverſiis apud diſertiſſimos ejus quod apud Illyrios eſt fori cauſarum certatores, quæ quidem dixiſti noſtra dijudicatione egere, ut non perpetuo diſſentiant.

CAP. I.

De donationibus.

PRimum [33] igitur capitulum tale erat: Mulier quædam ſuper his quæ ei a conjuge donatæ fuerant rebus, non tamen traditæ, volebat mortuo viro & qui ſilentium egerat ſuper donatione, res perſequi, ut dominâ harum tam donatione quam ſilentio viri facta. Opponebatur a detentoribus, exceptionem ipſam ſolam habere conventam, ſi detineret, non tamen & ab alio poſſe ipſa vindicare. Quod igitur controverſum fuit, tale erat. Nos vero recordati ſu-

17 Aliud eſt ſuſcipere magiſtratum, aliud eum redimere. 18 Nota, quos promoveri oporteat ad magiſtratum. 19 *Novell.* 8. *c.* 8. 20 Cancellarii ſunt a ſecretis judicum, dixi ad *l.* 8. *C. de adſeſſoribus.* 21 Fraus aliquin fieret legi, quoties per interpoſitam perſonam id fit, quod lex vetat fieri. vid. *l.* 5. *Cod. de legibus:* adde *l.* 5. *ff. de l. Jul. repetund.* 22 *Novell.* 8. *c.* 9. 23 Fuga ſuſpectum reddit. *Novell.* 53. *cap.* 4. *l.* 15. *Cod. de probationib.* adde *leg.* 25 *ff. de Senatusconſulto Silaniano.* Bald. *in l. admonendi* 31. *ff. de juredjur.* Exceptiones vero hujus regulæ, vide *apud* Socin. *regula* 163. 24 Facit *Nov.* 17. *cap.* 7. *Novell.* 128. *cap.* 13. 25 *Novell.* 128. 26 *d. Novell.* 128.

27 Vid. *l.* 1. *l.* 2. & *toto tit. ff. de l. Jul. repet.* 28 Commoda ſubditorum ſuis commodis optimus Princeps anteponit. Notandum illud ſane eſt, Marcum Antoninum Imperatorem fiſco, in cauſis compendii nunquam fraville. Capitolinus *in ejus vita*, quod ad *l.* 10. *ff. de jure fiſci* facit optime 29 Suffragia hujusmodi δεκαστικὰ dicuntur. vid. quæ notavi ad *Novell.* 8. 30 Vita & ſtudia optimorum Principum. 31 Pecunia nervus reipublicæ. *Novell.* 8. *cap.* 10. §. 2. *Novell.* 149. *cap.* 2.

32 De donationibus, ſacra forma, & de adſcriptitiis, *Index Regina.* 33 Extat primum caput hujus Novellæ in *lib.* 47. *Baſilic. tit.* 1. *c.* 78. Goth. Vid. Gudelin. *de jure Nomus*

mus conſtitutionis [1] noſtræ, dicentis, donantem, & ſi non ſit ſtipulatus [2] traditionem, neceſſitatem habere tradere donatum. Non enim ad defraudationem, neque ut literæ ſint nudæ, interpoſitum convenit conficere inſtrumentum. Animum quoque advertimus & ad Cinciæ [3] legis veteris legislationem (quam benefaciens a ſua legislatione removit dudum reſpublica) talia lege includentem ſeu tractantem, qualia in præſenti controverſia fuerunt.

§. 1. Et ſancimus: Si quemadmodum prius a nobis dictum eſt, perfecte omnia ſe habeant ea quæ ad talem donationem pertinent: tam ſecundum [4] menſuram, quam ſecundum [5] inſinuationem, valere ipſam ex modo omni, per viri ſilentium illico ab initio, (ſecundum noſtram conſtitutionem) ex quo facta fuit, ita [6] ut quamvis poſtea vir in hypothecam dederit [7] rem, vel in pignus tradiderit, non tamem prælienaſſe videri ipſum, quamdiu ſuperſtes erat, ſilentem, & traditionem ipſam (ſive intervenit) dare ipſi exceptionem, ſive non intervenit, præbere & exactionem, ſi [8] quidem ſtipulatio intervenit, per ex ſtipulato: ſin minus per ex lege condititiam ad conſequendum id quod donatum eſt. §. 2. Et illud etiam conſtituere juſtum duximus: Ut ſi quidem inſinuatæ fuerint ab initio donationes in geſtis, omnibus modis ipſas ſilentio confirmari. Si vero minime inſinuatæ manſerint, exceſſerint autem menſuram indigentem inſinuatione, usque [9] ad tantum duntaxat ipſas valere usque ad quantum & non inſinuatas donationes validas eſſe a nobis conſtitutum eſt. Hoc enim in extremo conſtituentes, obtinere idem volumus, & non propter adjectionem quantitatis, excidere & id quod recte ſe habere poterat. Quod quidem & ſuper univerſitatis donationibus jam lex [10] noſtra dicit. His obtinentibus non ſolum in viro & uxore, ſed etiam in aliis perſonis, inter quas quæ in matrimonio fiunt donationes, prohibentur.

CAP. II.

SEcundum etiam inſuper capitulum a tua excellentia interrogati ſumus. An poſt conſtitutionem [11] noſtram volentem ex libera & inſcriptitio [12] natos quospiam poſtea liberos propter matris conditionem exiſtentes, oportere exiſtimare, tametſi nec adſcriptitii facti ſint ſecundum [jus] antiquum, tamen omnino [13] colonos factos eſſe: propterea quod alia noſtra conſtitutio etiam colonorum liberos non permittit relinquere [14] terram, ſed manere colonos, & multo magis hoc eſſe oporteat, quandoquidem eſt in his perſonis prorſus inſcriptitiorum profapia. Hæc igitur in interrogatione erant tua, & hoc erat dictum capitulum. Oportet enim noſtram conſiderantes mentem, noſſe quia nunquam nos liberum [15] ventrem parere inſcriptitium [16] conceſſimus, ſed ſymbolum ſane hoc & ſignum ſuperponi oportet genito, poſt ſtatim poſitam legem, hoc ipſum ſcilicet, nempe libertatem convenire ex libera natis matre. Si igitur ex [17] libera quis & inſcriptitio naſcatur, manet quidem liber, & maternam non abjicit ullo modo ingenuitatem. Indicat autem a nobis poſita conſtitutio [18], quæ vult tales habitatores regionum manere, & agrorum cultores, tanquam ibi natos. Hoc enim coloni [19] vult appellatio. Non concedimus igitur ipſis licentiam relinquere ejudem regionem, ad alia vero ſe recipere: ſed ſi quidem omnino nati fuerint quidam in aliquo prædio, ſi quidem ex adſcriptitia matre, manifeſtum eſt eos omnino inſcriptitios fore: ſi [20] vero ex libera, manent quidem liberi: [21] quæ ab his adquiſita ſunt, ſub illis erunt, neque peculium fient dominorum, non [22] egredientur vero ex eo prædio, ſed illud colent, neque erit eis licentia hoc quidem relinquere, alia vero circumire aliena, niſi ſi domini fiant poſſeſſionis cujusdam propriæ, ſufficientis eos ibi occupatos alere circa ſeipſam, & non concedentis, & alia colere, & in ea migrare: quandoquidem omnibus modis ipſos manere ſancimus in prædio, liberos quidem conſtitutos, habitatione [23] tamen detentos, & hoc quidem hactenus conſtitutum eſto.

CAP. III.

SEd neque extra modum viſum eſt nobis, & illud quæſitum noſtra dijudicatione dignari. Si enim inſcriptitia mulier ad [24] inſcriptitium alicujus prædii ad alium pertinentem venerit conjugium, quæſitum eſt de prole, ſi liberi ex his naſcantur, utrum deceat ad dominum viri an dominum mulieris pertinere prolem? *Sancimus* igitur ſi quid tale fiat, & conveniant ad invicem diverſorum dominorum adſcriptitii, quandoquidem ea quæ ad fortunam eorum pertinent non ſint in controverſia poſita, ventre non libero exiſtente, ſint quidem progeniti, adſcriptitii: non tamen omne dabimus matri neque ejus domino, ſed ſi quidem unus genitus fuerit filius, venter [25] ſemini præfertur, ſitque dominî matris id quod erit progenitum. Sin duo forte contigerint filii, dividantur ambo, electione per [26] ſortem dirimenda. Sin impar [27] ſit liberorum numerus: majorem obtineat matris ſinus, ita ut ſi tribus exiſtentibus, duo quidem ſint matris, unus vero patris, & rurſum ſi quinque, tres quidem ex genitis ſint domini matris, duo vero patris: & ſecundum hoc incrementum, numerus progrediatur, id quidem quod in æqualitatem dividi poteſt dividens ex æquo, quod vero exſuperat, tanquam gratioſius illud diſtribuens matri. Oportet enim ipſam dignari majore ſtudio, ut quæ & partutierit [28] & pepererit, & nutrierit, ſupra eum qui voluptatis ſuperfluum, pueri fecerit originem.

EPILOGUS.

† Quæ igitur hac ſacra pragmatica forma comprehenſa ſunt, tua gloria in ſimilibus caſibus cuſtodire feſtinet. Etenim & communem de hoc ſcribimus legem, ipſa quidem & alia quædam reformantes, quæ quidem neceſſariæ legislationis eſſe credimus. Dat. 5. Idus Septembr. *Conſtantinop.* DN. JUSTIN. PP. Auguſt. ARIONE [29] V. C. CONS.

viſſimo lib. 1. *cap.* 8. *num.* 10. Rittershuſ. *part.* 5. *cap.* 14. Anſ. 1 *l.* 35. *C. de donationib.* §. 2. *Inſtit. de donat.* 2 Id eſt, etſi non promiſerit. 3 Τῶ Σικείῳ. *Scr.* Æliæ Sentiæ: *Hai.* & male. Lex enim Ælia Sentia de manumiſſionibus fuit, non donationibus. Goth. De lege *Cincia* ſive *cynthia* de donationibus meminit Tacit. *Annal.* 11. Vid. etiam Ranchin. *var. lect. lib.* 2. *cap.* 7. S. L. 4 Ut non ſit immodica. 5 Ut ſit infinuata.

6 Abrogatur lex 12. *C. de donat. inter virum & uxorem.* *l.* 32. §. 5. *ff. de donat. inter virum.* 7 Ut ſi donator rem a ſe donatam alienaverit vel pignoraverit, donationem revocaſſe non intelligatur. 8 *l.* 35. *Cod. de donationib.* 9 Utile per inutile non vitiatur. *l.* 21. *in fin ff. de donat. l.* 34. *Cod. de donat.* 10 *d. l.* 35. 11 *l. ult. C. de agricolis.*

12 Adſcriptitio. 13 *Novell.* 54. *c.* 1. vide Cujac. *lib.* 4. *obſ.* 28. 14 Adſcriptitis non licet a gleba diſcedere 15 Ex ventre libero adſcriptitius non naſcitur.

16 Adſcriptitium. 17 Ex libera & adſcriptitio naſcitur liber, *l. ult. C. de agricol. & cenſit. Novell.* 22. *Nov.* 54. vide *Novellam Juſtini de filiis liberorum in Africa.* olim placebat adſcriptitium naſci. 18 *d. l. ult. Cod. de agricolis.* 19 Colonus quid.

20 Ex adſcriptitio ventre, adſcriptitii, ex libera liberi naſcuntur. 21 Effectus ingenuitatis. 22 Effectus adſcriptitii juris. 23 Statu quis interdum liber eſt: habi-

TIT. XLVI.

DE [30] RELEVATIONE [31] TRIBUTORUM PUBLICORUM.

NOVELLA CONSTIT. CLXIII.

PRÆFATIO.

PRæſtantiſsima inter homines bona ſunt *juſtitia* [32] & *benignitas*: quarum altera æquabiliter ſuum cuique tribuit, neque appetit aliena: altera ad miſericordiam decurrit, & debitorum incommoditate egentes liberat. Hæc ornare firmareque Imperium, hæc conſervare rempublicam, hæc pulchre humanam noverunt gubernare vitam. Unde & nobis ex quo divinitus Imperii ſceptra ſuſcepimus, magno affectatum eſt ſtudio, ut undique tam bonis actionibus conſpicui ſimus; quo magis ſi utiles nos præbeamus ſubditis, ex virtute & gloria remunerationem habeamus. Ac ſcimus quidem mutua illa, & omnimoda hominum exitia ad tantam inopiam poſſeſſiones redegiſſe, ut neque reditus poſſint ſuis producere poſſeſſoribus, neque ſatis idonee publica inferre tributa. Atque hæc militari & alio neceſſario ſumptu imminente, vehementerque nos impellente, dum multis undequaque bellis alluimur, ut crebriores pecuniarum collationes faciamus. Inde adeo non ſemel curas in eam rem impendimus, quaman ratione fieri poſſit, ut & neceſſitati faceremus ſatis, & ſubditorum egeſtati afferremus remedium: cumque in multas noſtra circa hæc diſtraheretur ſententia, magis tamen obtinuit, ut ad benignitatem reſpiceremus, & Deo placentem collatoribus imperiremur medelam, & quod communibus deeſſet ſumptibus, hoc in ejus vicem introduceretur ex theſauris principalibus.

CAP. I.

ACceptam igitur & hanc noſtram curam ferentes domino Chriſto, & ſalutaris paſſionis, neque non ſanctæ reſurrectionis ejus præſentibus [33] magni feſti [34] diebus condigna facientes, merito & ipſi in præſentia hanc pro republica largitionem offerimus, per quam concedimus in univerſum omnibus agricolis pariter & collatoribus, (idem autem dicere licet & de prædiorum dominis) integrum unum canonem publicorum tributorum, in quadriennium partiendum: hoc eſt quartam [35] quidem ejus portionem pro nova indictione proxime initura, tandem vero alteram & pro decima, quæ hanc ſecutura eſt, conſimiliter, & pro undecima & *duodecima*, unicuique quartam portionem, una eademque opera diminuentes & conſuetudines, quæ quocunque modo aliquibus hoc nomine præbentur.

CAP. II.

REmittimus autem his & præteriti [36] temporis reliquationes, usque ad finem proxime præteritæ quintæ indictionis. Ac ſancimus ne qua fiat exactio pientiſſimarum nobis condonatarum præſtationum, ſive maximam præfecturam reſpiciant ſacrorum orientalium prætoriorum, ſive præfecturam Illyricianam, ſive præſidatum inſularum, atque præfecturam militarium in Scythia & Myſia ordinum, aut ſacras noſtras largitiones, aut denique alium magiſtratum: interdicentes decurionibus, & exceptoribus ſcriniariis, & cohortalibus, palatinis, & exactoribus, neque non ſuſceptoribus, & quicunque vel exactionem vel ſuſceptionem publicorum expedivit, aut expedit tributorum, ne per vafritiem excogitatis contra agricolas & collatores utantur artibus: aut etiam prædiorum dominos, ut diverſos ex reliquis indultis pro ſe inſtituant, aut conſtitutæ pecuniæ obligationes, aut fidejuſſiones, aut confeſſiones dolo malo ſuſcipiant. Conſtituimus etenim omnem contra munificentiam noſtram factam aut futuram circumſcriptionem irritam: cum illud conſtet, quod ſi qui noſtram antevertentes largitionem ex reliquationibus jam inde a quinta indictione factis aliquid exegerint, neque id perſolviſſe videbuntur: omnibus modis publicis id rationibus inferent. Nam ut collatores beneficio afficeremus, præſentem ipſis benignitatem impartiti ſumus, non autem his [37] qui publica tributa ſuſcipiunt, & in ſuum lucrum conferre ea voluerint, præſentis ad tempus canonis indulgentiam inſtituimus: nullo modo embola [38] (hoc eſt annua ſpecierum transmiſſione, ut in condito & ad militares ſumptus habeantur) diminuenda. Oportet enim univerſum frumenti aliarumque ſpecierum modum conſueto ac ſolito more & contribui, & importari: pretiis quartæ partis per ſingulos annos a nobis usque in quadriennium collatoribus indultæ ad menſam publicam cum aliis, quæ in auro ab ipſis contribuuntur, æſtimandis ſolvendisque e publico. Idemque hoc in Oſroena & Meſopotamia peragetur eorum gratia, quæ pro ſecondiris & militari ſumptu in ſpeciebus conſtituuntur. Conſimiliter & in ſpeciebus, quæ ploimæ [39], quaſi navibus tranſportandæ dicuntur, quæ proveniunt in Lazica, & Boſphoro, & Cherſoneſo, percipient enim harum pretia ex publico, prout in menſis præfectorum ordinatum fuerit, unde hæ importantur, ut & ipſi noſtra in hoc perfruantur benignitate. Earum enim ſpecierum illationem negligere, haudquaquam tutum eſt: cum & inevitabilis exiſtat impenſa, & publicas (ut ita dicamus) res in unum conciliet. Credimus autem & ex hac noſtra largitione magna reipublicæ incrementa futura, Deo omnia nobis fauſta per hujusmodi actiones præbente: ea quæ pro ſubditorum utilitate a nobis diſpoſita ſunt, tranſcendere præſumentibus, tam de ſubſtantia, quam de ipſa periclitandis ſalute.

EPILOGUS.

† Quæ igitur nobis placuerunt, & per præſentem ſacram declarantur legem: ea programmatis uſa gloria tua, tam in alma urbe, quam etiam per provincias omnibus manifeſta faciet, ut neminem noſtra lateat munificentia.

tatione vero & domicilio ſervus. 24 Dixi *Novell.* 156. 157. 25 Semini venter præfertur: id eſt, patri mater. 26 Sortibus jactis, *l. ult. C. comm. de legatis*, hoc enim ſit multis aliis cauſis *l.* 2. *C. quando & quibus quarta pars: l.* 14. *ff. de judic. l.* 24. §. 17. *ff. de fideicomm.* §. *optimis* 23. *in fin. Inſt. de legatis.* 27 Ex duobus adſcriptitiis natos, impar matris: par patris conditionem & dominium ſequitur. 28 *l. ult. Cod. qui potior.*

29 Id eſt, anno 539.

30 Hæc Novella eſt Tiberii. 31 De relevatione futurorum *Index Regina.* Relevatio ita dictur ab indulgentia. vid. *cap.* 2. §. *ead.* 32 Laus Juſtitiæ. 33 Magiſtratus attentiores ad munus ſuum eſſe ſolent, inſtante feſto aliquo inſigni. adde *l.* 22. *l.* 23. *C. de epiſc. aud. l.* 6 *l.* 7. *in fin. l.* 8. *C. de feriis, l.* 6. *C. de cuſtod. reor.* 34 Paſchatis.

35 Relevatio hæc tributorum Conſtantinianæ pene ſimilis eſt, qua relevantur poſſeſſiones quarta parte tributorum in quadriennium. Euſebius 4. *de vita Conſtantini.* 36 Indulgentia in eo differt a relevatione. Relevatio eſt futuri: indulgentia præteriti.

37 Indulgentia hæc non pertinet ad publicos tributo um exactores. 38 Embola, mox ut ait, eſt publica & annua ſolemniſque ſpecierum transmiſſio. *l.* 20. *C. de ſacr. eccl.*

39 Ploimæ ſpecies navibus transportantur.